

sed tantum, quod velit permittere, ut fiat. Plura alia tum ex Scriptura, tum ex SS. Patribus obijciunt Hæretici, quæ referunt & solvunt Controversiæ, sed quibus facile responderi potest juxta triplicem explicationem datam. Observandum insuper, Deum in Scriptura dici causam omnium mali, sed intelligitur de malo poenæ, & non de malo culpæ.

Obj. 4. Unum peccatum sæpè est poena alterius peccati; atqui Deus est causa omnium poenarum: ergo & peccati. R. D. Maj. Unum peccatum secundum se consideratum est poena alterius peccati, N. De ratione enim peccati secundum se est, quod sit voluntarium, & de ratione poenæ est, quod sit contra voluntatem. Peccatum consideratum per accidens secundum adjuncta est poena alterius peccati, C. Quia nempe peccator propter peccatum præcedens privatur gratia ad vitandum aliud, patitur afflictionem sive ex parte spiritus, ut in peccatis iræ, invidia, &c. sive ex parte corporis, quod sæpè debet fatigari, ut expleat suas cupiditates. Item ex peccato sequuntur effectus suo auctori graves, ut remorsus conscientie, infamia, morbi, &c. Quæ omnia autem poena peccati præcedentis.

Obj. 5. Quod est causa causæ, est causa causati; sed Deus est causa liberi arbitrii, quod est causa peccati: ergo. R. D. Ant. (Ibid. ad 3.) Quod est causa causæ, est causa causati, quando causatum procedit a media causâ, ut subest ordini & motioni primæ causæ, C. Quando causatum procedit a media causâ, secundum quod exigit ordinem & motionem primæ causæ, N. Sicut, si Minister facit aliquid contra mandatum Domini, non reductur in Dominum sicut in causam. Peccatum autem procedit a libero arbitrio, non ut subest ordini & motioni primæ causæ, scilicet Dei, sed ut deficit ab illo. In idem redit altera hujus axiomatis distinctio: quod est causa causæ formalitèr ut causæ, seu causantis, est causa causati, C. Quod est causa causæ, materialitèr ut existentis, N. Sic Pater est causa filii, non tamèn est causa homicidii a filio perpetrati, quia non est causa filii formalitèr ut causæ, seu causantis hoc homicidium. Similitèr Deus est causa liberi arbitrii quantum ad esse, sed non est causa liberi arbitrii formalitèr ut causantis peccatum: liberum enim arbitrium non causat peccatum, secundum quod est aut movetur a Deo, sed secundum quod ab illo deficit.

Obj. 6. Deus est causa actus peccati: ergo est causa peccati. R. Deum esse causam actus peccati, communiter docent Theologi cum Auctore hic art. 2. & ita certam existimat hanc sententiam S. Doctor, ut d. 4. q. 2. art. 2. dicat, quod opposita sit propinquissima duplici errori. Quomodo autem Deus sit causa actus peccati? An per concursum simultaneum tantum, an etiam per prævium? Et quomodo in utraque sententia salvetur, quod Deus non sit causa peccati? Hoc totum, quod graves patitur difficultates, abundè explicuimus in Tract. de Deo Dissert. 8. art. 5. require ibi, & habe hic pro dictis.

Obj. 7. Deus est causa excæcationis & obdurationis; atqui excæcatio & induratio sunt peccata: ergo. Antè responsionem notandum, excæcationem & indurationem propriè dictas duo importare. (Hic q. 79. art. 3. o.) Primum induratio importat mo-

tum animi sic in hærentis malo, ut contemnat ea, quæ a malo avertere & ad bonum convertere possunt, eisque resistat. Excæcatio importat motum animi sic averti a divino lumine, ut veritatem evidentèr manifestatam nolit acceptare. Secundum quod importat, est subtractio gratiæ; quæ sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad rectè vivendum, & cor hominis non emolliatur ad rectè vivendum. Hoc notato, R. D. Maj. Deus est causa excæcationis & indurationis, si sumantur secundum quod dicunt motum animi in hærentis malo, & averti a divino lumine, N. Maj. Quia sic sunt peccata, Deus autem non est causa peccati. Si sumantur secundum quod dicunt subtractionem gratiæ, C. Quia sic sunt poenæ: Deus autem est causa poenæ.

Petes 1. Quæ sit gratia, cujus privatio dicitur induratio & excæcatio? R. Certum est, non esse gratiam efficacem, quia quilibet peccans ea privatur. Non est etiam omnis gratia sufficiens; quia privari omni omnino gratia sufficiens perinet ad statum damnationis; sed est gratia sufficiens proxima & frequentius collata, ita ut indurati & excæcati non habeant amplius nisi gratias remotas, debiliores, & rarius collatas. Pro quo vide Tract. de Deo Dissert. 7. art. 8. præsertim obj. 2.

Petes 2. Ad quid ordinetur induratio & excæcatio? R. (Ibid. art. 4. o.) Per se ordinari ad damnationem indurati & excæcati; quia, quod importat motum animi adhærentis malo, vel averti a divino lumine, sunt peccatum; pro autem importat subtractionem gratiæ, sunt præambulum ad peccatum; atqui peccatum per se ordinatur ad damnationem peccantis: ergo. Per accidens tamèn & ex divina misericordia ordinatur medicinalitèr ad salutem indurati & excæcati, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur & convertantur. Hæc autem misericordia non conceditur omnibus induratis & excæcatis, sed solum Prædestinatis, quibus omnia cooperantur in bonum, Rom. 8.

Petes 3. circa Q. 80. S. Thomæ: an, & quomodo diabolus sit causa peccatorum hominum? R. 1. (Quæst. 80. art. 1. o.) Certum est, diabolum aliquo modo esse causam peccatorum hominum. Patet, quia induxit Evam in peccatum, tentavit Job, & quotidie tentat homines: unde illud 1. Pet. 5. Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit querens, quem devoret. 2. Diabolus non potest esse causa peccati directè & sufficientèr: (Ibid.) quia non potest esse causa peccati nisi vel agendo interius in voluntate, & eam movendo ad peccatum, vel proponendo objectum & persuadendo ejus appetibilitatem; atqui primum non potest; est enim solius Dei movere voluntatem interius in eam agendo: secundum non sufficit, quia voluntas à nullo objecto de necessitate movetur; nisi à solo ultimo fine. 3. Potest ergo dumtaxat diabolus esse hominibus causa moralis & indirectè peccandi, (Ibid.) quatenus proponit sensibus sive interius, sive externis aliquid appetibile, & commovet appetitum sensitivum & phantasiam, & hinc suadet rationi illud esse bonum & eligibile.

Sequitur de causa peccati ex parte hominis; hoc est de Peccato Originali. Pro quo sit

DISSERTATIO VI. DE PECCATO ORIGINALI.

D. Thom. QQ. 81. 82. 83.

ARTICULUS I.

Utrum sit Peccatum Originale ab Adamo ad posteros transmissum?

Inter causas extrinsecas peccati ultimò recensuimus hominem, qui duplici modo potest dici causa peccati: (Hic q. 81. in præm.) 1. Per modum proponens & suadentis, ut diximus de Demone: 2. Ut principium generationis transfundentis simul naturam cum culpa, quam ideo dicimus Originalem, quod est proprium primi hominis. Et querimus, an ita sit? Hæc questio est tanti momenti, ut in ea, inquit Aug. 1. 2. de Peccato Orig. cap. 24. propriè Fides Christiana consistat. Et l. 1. contra Jul. cap. 2. Hoc qui negat, ipsa Christiane Fidei subvertente firmamenta conatur.

Per Peccatum Originale intelligimus illud, quod nascendo contrahimus ex Adamo, qui, cum esset constitutus a Deo, caput, non solum naturale, sed etiam morale, omnium hominum

ab ipso seminalitèr propagandorum, supponebat pro nobis, & continebat in sua voluntate voluntates nostras; ita, dum peccavit, simul in eo peccavimus. In quo consistat essentia hujus peccati, dicemus infra: sed interim, quidquid sit, esse verum peccatum, quo inficimur & nascimur filii iræ, dogma est Catholicum; quod hic probandum suscipimus adversus Hæreticos.

Dari Peccatum Originale in posteris Adæ, primus omnium negavit Pelagius, deinde ejus discipuli Julianus & Cælestius, contententes Adam sibi soli nocuisse, non posteris, nisi exemplo; consequenter posteros nec culpam, nec poenam ab eo contrahere; sed mortem, morbos, & alias hujus vitæ miseria esse defectus naturales, & concupiscentiam bonum naturæ, quæ omnia expertus fuisse Adam, etiam non peccasset; proinde Baptismum non esse necessarium parvulis ad remissionem alicujus peccati, sed ut fiant filii adoptionis, & habeant jus ad Regnum cælestè, ita ut sine illo forent quidè Beati, sed extra Regnum. De his legendus est Aug. libr. de Peccato Origin. ab initio usquè ad cap. 16. libr. de Peccat. meritis cap. 2. & lib. de Hæres. c. 88.

Pela.

Pelagiani subindè, argumentis Catholicorum convicti, agnoverunt Adamum, si non peccasset, non fuisse morti obnoxium, & ejus posteros ab eo contrahere necessitatem mortis corporalis; non tamèn peccatum, quod est mors animæ. Ità Aug. contra duas Epist. Pelagian. cap. 2. & 4. Priorem errorem secuti sunt Albigenes & Anabaptistæ: posteriorèr Zuinglius, Faber, & Erasmus, de quibus Bellarm. l. 4. de Amissione grat. c. 2. Contra hæc Hæresim scriptus Aug. librum unum de Peccato Originali, duos de Nuptiis & Concupisc. tres de Peccatorum mer. & remissione, quatuor contra duas Epist. Pelagianorum, & alios.

Dico, Secundum Fidem Catholicam tenendum est, Peccatum Originale traduci in posteros Adæ. (Ibid. art. 1. o.) Prob. ex Scriptura. 1. Jobi 14. dicitur: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nomen tu, qui solus es? Vel ut vertunt 70. Nemo intelligens a sordè, nec infans unius diei super terram: quod de immunditia corporali, patet, 1. Quia loquitur de immunditia, quo solus Deus mundare potest; hæc autem est spiritualis, non corporalis, a qua utique potest homo mundare. 2. Quia loquitur de sordè, propter quam homo ducitur in iudicium ex verbis immediate præcedentibus: Et dignum dicit super hujusmodi aperire oculos tuos, & adducere tecum in iudicium: Nemo enim adducitur in iudicium nisi propter peccatum. 3. Quia immunditia in Scriptura accipitur pro peccato: sic Isa. 64. Facti sumus ut immundus omnis nos, & tanquam pannus menstruatus omnes iustitiam nostram. Item Zachar. 3.

2. Ps. 50. David dicit de se: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea; quod non potest intelligi de peccato Parentum, cum David ex legitimo conjugio & sanctis Parentibus sit natus, sed de solo Peccato Originali. Nec refert, quod dicat in plurali iniquitates & peccata. 1. Quia, licet peccatum Originale sit unum, est tamèn radix plurium peccatorum. 2. Qui in peccato Adæ, quod contrahitur, multe fuerunt iniquitates, superbia, infidelitas, inobediencia, gula, &c. 3. Quia non est infrequens in Scripturis numerum pluralem poni pro singulari, & e contra: & ita contigisse nostro Interpreti evincitur inde, quod in Hebræo, ut observat Bellarm. numerus sit singularis, & ideo S. Hieron. & alii reddiderunt in iniquitate & peccato.

3. Et potissimum, Apostolus ad Rom. 5. dicit: Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ergo, juxta Apostolum, aliquod peccatum in hunc mundum intravit, quod omnes homines constituit peccatores & morti obnoxios. Subsumo; atqui istud peccatum non est actuale personale, cum infantes, qui morti sunt obnoxii, non sint illius capaces: ergo originale.

Huic invictissimo Apostolico testimonio dupliciter respondent Hæretici. 1. Dicunt, per Adamum peccatum in hunc mundum intrasse, & in eo omnes peccasse, non propagatione, sed imitatione. 2. Apostolum per peccatum hic intelligere, sicut alibi, non peccatum formalitèr, sed effectum peccati, scilicet mortem vel proritatem ad malum. Contra 1. evasionem. 1. Respondent Aug. l. 1. de Peccat. meritis cap. 9. Si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum non propagatione sed imitatione intravit, ejus principem non Adam, sed diabolum doceret, de quo scriptum est: ab initio diabolus peccat. 2. Neque id infantes, neque in omnes adultos transit peccatum Adamini per imitationem, cum infantes antè usum rationis non possint imitari Adamum peccando; neque id adulti, qui de peccato illius nihil usquam audiverunt; & tamèn eos omnes comprehendit sententia Apostoli: dicit enim omnes in Adamo peccasse, & ii omnes sunt obnoxii morti, quæ juxta eundem Apost. est poena peccati. 3. Juxta Apost. ibidem, derivatur peccatum Adæ in posteros, sicut iustitia Christi ad regeneratos; sed iustitia Christi ad regeneratos non derivatur per simplicem imitationem, sed in eos redundat per veram in illo regenerationem: ergo.

Contra 2. evasionem. Si per peccatum Apostolus intelligeret effectum peccati, intelligeret procul dubio mortem, quæ est præcipuus ejus effectus; siquæ, dum dicit per unum hominem peccatum intrasse in mundum & per peccatum mortem, sensus esset, quod per unum hominem mors intravit in mundum, & per mortem mors; quod est absurdum. Si dicas cum Zuinglio, Apostolum hic intelligere alium peccati effectum, scilicet proritatem ad malum: contra est, quod non proritatem ad peccatum, sed ipsum peccatum verè & propriè dictam sit causa mortis, iuxta eundem Apostolum c. 6. Stipendium peccati mors. Et Ezoch. 18. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Adde, quod, quamvis Apostolus aliquando sumat peccatum pro effectu peccati; nunquam tamèn sumit id peccatè pro effectu peccati: dicit autem, hic in quo omnes peccaverunt.

Confirmatur hæc probatio ex eodem Apost. 2. ad Cor. 5. Si unus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, Theol. Billuart. Pars Secunda.

& pro omnibus mortuus est Christus. Nega, inquit Aug. Juliano l. 6. contra ipsum cap. 9. Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum: si autem & pro ipsis mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt, est ergo peccatum aliquod, quo infantes recens nati dicuntur mortui; & hoc quod est aliud, nisi originale? Item ad Eph. 2. Erasmus natura, id est a nativitate & origine, filii iræ.

Prob. ex Patribus. Aug. l. 1. contra Jul. cap. 3. & 4. probat hoc dogma Catholicum ex Patribus, qui præcesserunt Pelagium, Irenæo, Cypriano, Reticio, Olympio, Hilario, Ambrosio, Innocentio l. Et cap. 5. ex Gregorio Nazianzen. Basilio; & ex 14. Episcopis Orientalibus, cap. 6. ex Chrysost. & c. 7. ex Hieron. Undè l. 3. de peccat. meritis c. 6. loquens de Peccato Originali dicit: Non aliud, ex quo Christi Ecclesia constituta est, divinarum Scripturarum Tractatores & Christianarum Disputationum Scriptores senserunt, non aliud a Majoribus acciperunt, non aliud posteris tradiderunt.

Prob. ex Concilio Concilium Palæstinum 14. Episcoporum, cujus meminit Aug. Ep. 106. damnavit eos, qui dicebant peccatum Adæ posteris non nocuisse, & infantes nunc esse tales, qualis esset Adam antè lapsum; cui definitioni ipsemet Pelagius, timens damnari a Patribus Concilii, subscripsit: quamvis postea suis Discipulis significaverit se hæc damnasse, quia verè peccatum Adæ nocuit posteris imitatione, non propagatione, & quia infantes non nascuntur cum usu rationis, quem habebat Adam antè lapsum. Concilium Milevitanum in Africa ann. 416. can. 2. sic dicit: Placuit, ut quicumque parvulus recens ab uteris matrum baptizandus n. g. at, aut dicit in remissionem peccatorum quidè baptizari, sed nihil ex Adam trahere Originalis Peccati, quod in aëro generationis expietur, anathema sit. Et pro ratione subiungit: Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica indiquè diffusa semper intellexit propter enim hanc regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, idè in peccatorum remissionem veracitèr baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Concilium Arausicum 2. ann. 523. Can. 2. Toletanum VI. ann. 626. idem definiunt: similiter Innocent. I. confirmans Concilium Milevitanum, Zozimus Ep. ad Episcopos totius orbis, cujus meminit Aug. Ep. 157. ad Optatum, B. Cælestinus Ep. ad Gallos, S. Leo Ep. 86. ad Nicetam. Concil. Florent. in litteris unionis; & tandem Trident. Sess. 5. decreto de Peccato Originali can. 2. repetens decreta Conciliorum Milevitanæ & Arausicani. Vide etiam can. 3. & 4.

Prob. Rationibus Theologicis (Ibid.) Cum hæc veritas a sola Dei voluntate pendeat, probari non potest nisi rationibus deductis ex principiis revelatis. Prima ratio, eaque peremptoria, quam præcipue urgebant SS. Patres, petitur ex baptismo infantibus collato; & sic proponitur: Apostolica traditio est, eaque perpetua & constanti usu Ecclesie firmata, infantes recens natos, præsertim si eorum vita periclitetur, esse baptizandos. Ità docent S. Dionysius de Cælest. Hierarchia cap. ultimo, Origenes Hom. 8. in Levit. Cyprianus l. 3. Epist. 8. Hieron. lib. 3. adversus Pelagianos, Aug. l. 4. contra Donat. cap. 24. Neque id negarunt Pelagiani, Zuinglius, & Erasmus. Hæc autem traditio tanta Ecclesie sollicitudine servata & firmata fundatur in verbis Christi, Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei; atqui baptisma confertur in remissionem alicujus peccati: ergo infantes inquinantur peccato a nativitate. Minorèr negabant Pelagiani, dicentes baptisma conferri infantibus, non in remissionem peccati, neque ad consequendam vitam æternam, sed ut haberent jus ad regnum, juxta verba Christi prius laudata; distinguebant enim æternam beatitudinem a Regno. Itaque

Prob. Min. 1. Est expressa sententia Scripturæ. Act. 2. Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. 2. Qui baptizantur, mundantur & abluuntur: patet tum ex forma baptismi, baptizo te, id est, abluo te; tum ex Scripturis Ephes. 5. Mundans cam lavacro aque verbo in vita; & ad Titum 3. Per lavacrum regenerationis et renovationis; Act. 22. Baptizare et abluere peccata tua invocato nomine ipsius; atqui non mundatur, aut lavatur, nisi qui sordès & maculas habet: ergo. Secunda ratio petitur ex caeremoniis Baptismi, nimirum ex exorcismo & exsufflatione, quibus spiritus immundus abigitur: ergo autè baptismum ille spiritus tenebat infantem captivum per peccatum: usus autem istarum caeremoniarum fuit semper usurpatus in Ecclesia, & ex illo Aug. passim arguit contra Pelagianos. Tertia ratio: Christus, juxta Scripturas, & maximè juxta Apost. est Redemptio omnium, etiam parvulorum; atqui Redemptio supponit captivitatem & damnationem, damnatio peccatum, neque parvuli ullo alio peccato, quam Originali captivari possunt: ergo. Quarta ratio: Mors est poena peccati, juxta illud jam citatum.

882

881

Stipendium peccati mors; & illud Gen. 2. Quicumque die comederis ex eo, morte morieris; atqui moriuntur omnes, etiam infantes, quia propria voluntate non peccaverunt: ergo. Confirmatur hac ratio: Homo nascitur obnoxius, non solum necessitati moriendi, sed variis aliis arumis & miseris, curis, doloribus, infirmitatibus, tristitiis, ignorantibus, fami, siti, frigori, & concupiscentiis pejus, quam bruta; atqui natura, ut primum fuit a Deo creata, & antequam caderet, non erat obnoxia his omnibus miseris & arumis: Deus enim, ut dicitur Sap. 2. Creavit hominem inextinguibilem... invidiam autem diaboli mors inuravit in orbem terrarum: & Eccl. 7. hoc inventi, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinis miscerit questionibus: ergo haec omnes miserie & arumae sunt effectus peccati communis omnibus; communis enim poena ostendit communem praecessisse culpam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. ex Scripturis. Ezech. 18. dicitur: Filius non portabit iniquitatem Patris: ergo. R. D. Ant. (Ib. ad 1.) Filius non probabit iniquitatem Patris, si non sit particeps ejus culpe, Transcat; id enim est verum de poenis spiritualibus; non semper de corporalibus. Si sit particeps ejus culpa, N. Tunc enim non punitur propter peccatum alienum, sed propter proprium: peccatum autem Originale non est solum Adami, sed etiam nostrum, quatenus eo peccante ut capite totius naturae, nos omnes in ipso peccavimus.

Inst. 1. Apost. Rom. 5. dicit: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam Justi constituentur multi; atqui, si non imitatione, sed propagatione homines per peccatum Adae constituerentur peccatores, non solum multi, sed omnes: ergo. R. cum Aug. libr. 6. contra Julian. c. 12. Apostolum per multos intellexisse omnes, ut patet ex verbis immediate praecedentibus: Sicut, inquit, per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem. Dixit autem omnes & multos, ut ostenderet omnes esse multos; non enim semper omnes sunt multi, seu magno numero: sic omnes Evangelistae non sunt multi. Quo fine & sensu Gen. 17. dicitur, Patrem multarum Gentium posuisti, & c. 22. in semine tuo benedicentur omnes gentes. Ubi, sicut prius, idem multi sunt omnes, & omnes sunt multi.

Inst. 2. Apostolus in verbis dicit, multos constitui peccatores per unius Adae inobedientiam, sicut multi constituentur justi per Christi obedientiam; atqui non omnes constituentur justi per Christi obedientiam: ergo. R. Omnes, qui renascuntur ex Christo, constituti justos; sicut omnes, qui nascuntur ex Adam, constituentur peccatores.

Inst. 3. Apost. ibidem paulo ante dixit, quod gratia Dei multo magis abundavit in plures, quam peccatum Adae: ergo. R. cum Aug. l. 2. operis imperfecti contra Julian. c. 83. Apostolum dixisse magis abundasse gratiam in multos, & non in magis multos. Quia plures ibi non sumitur comparative, sed absolute per multos, & sic graecè legitur. Magis autem abundavit gratia Christi in multos, quam peccatum Adae; quia inquit Aug. ibid. c. 97. est potentior & efficacior; non enim solum tollit Peccatum Originale, sed etiam admittit multa, quae omnes male vivendo addiderunt: confert insuper virtutem vincendi concupiscentiam, & vitam aeternam animae & corporis.

Inst. 4. Apost. ibid. dicit: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt: ergo non omnes peccaverunt. R. Apostolum non dixisse simpliciter in eos, qui non peccaverunt; sed in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevagationis Adae, id est, qui non peccaverunt actuali peccato & propria voluntate, quales sunt infantes.

Inst. 5. Apost. cap. praeced. 4. dicit: Ubi non est lex, nec praevagationis; atqui infantes non sunt capaces legis: ergo. R. D. Min. Infantes personaliter considerati non sunt capaces legis, C. Min. Considerati ut quid unum cum Adamo in quo continebantur tanquam in principio & capite moralis generis humani, N. Min. Sic enim voluntas Adami erat voluntas communis omnibus, qui ex ejus semine erant nascituri: & sub illa ratione omnes, etiam infantes, erant capaces legis, eamque transgressi sunt, hoc ipso quo Adam illam fuit transgressus.

Inst. 6. 2. Cor. 5. dicit Apostolus, quod ante tribunal Christi unusquisque referet propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum; atqui infantes malum proprium corporis non gesserunt: ergo. R. cum Aug. l. 6. contra Julian. c. 10. Apost. loqui de solis adultis, ut patet ex his verbis, propria corporis prout gesserunt. Vel enim vi hujus textus parvuli manifestandi sunt ante tribunal Christi, vel non. Si non sint vi hujus textus manifestandi, quia Apostolus loquitur tantum de adultis, nihil inde contra nos. Si sint manifestandi; quæro, quod bonum proprium corporis, ut referant, gesserunt? Si dicas, gesserunt

bonum per alios, quando fuerunt baptizati; dicam ergo: gesserunt pariter malum per alios, quando Adam peccavit.

Obj. 2. Ex Patribus, praesertim ex Chrys. S. Doctor hom. ad Neophytos negat, parvulos illum habere peccatum: Parvulos, inquit, baptizamus, quoniam non sint inquinati peccato, ut eis detur vel addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi: ergo. R. 1. (Et sit Responso generalis ad omnia, quae opponuntur ex Chrysost.) ipsum aperte & constanter agnovisse Peccatum Originale. 1. Ep. ad Olympiam: Quando, inquit, Adam peccavit, illud grave peccatum & omne genus humanum in commune damnavit, de merore penas habebat. 2. Ipsa hom. cit. ad Neophytos, venit Christus & paternis nos cautionibus invenit adstrictos quos conscripsit Adam, ille initium obligationis ostendit, peccatis nostris sensus accrevit: vel ut Aug. interpretando de verbo ad verbum habet. l. 1. contra Julian. cap. 6. Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum patrum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit delicti, nos sensus auximus posterioribus peccatis. Addit Aug. non fuisse satis Chrysostomo dicere patrum chirographum, nisi adderet & nostrum. 3. Hom. 40. in priorem ad Cor. In regenerationis lavacro mentem gratia tangit, hinc radicale peccatum evellit. Quid autem radicale peccatum nisi originale? 4. Hom. 10. in Ep. Rom. c. 5. quae etiam nobis opponitur: Nos ipsum peccatum, quod ex legis transgressionem ortum est, sed illud, quod ab Adam inobedientia, ipsum illud inquam peccatum erat, quod omnia perdebant. Item ibid. Cum tibi Judaei dixerit, quo pacto uno recte agente Christo universis orbis salus factus est? Possis illi respondere, quo pacto, uno non obediens Adam, universis orbis condemnatus est. Neque intelligi potest de condemnatione ad mortem temporalem tantum; quia opponit condemnationem ex Adam saluti ex Christo, salus autem ex Christo non est a morte corporali, sed spirituali & aeterna. Item ibid. Mortem et condemnationem peccatum quidem introducere potuit: gratia vero non illud unicum solum abstulit; sed & ea, quae post illud ingressa sunt. Tandem Chrysost. tota hac homilia probat ex Apost. gratiam Christi nos liberasse, non solum a condemnatione, quam toti generi humano attulerat peccatum Adae, sed etiam a peccatis superadditis, & multa alia dona nobis conferre, sique gratiam magis abundare, quam peccatum. His praemissis,

R. 2. directè ad objectionem cum Aug. l. 2. contra Julian. c. 6. Chrysost. non dixisse Infantes non esse inquinatos peccato, sed peccatis, seu non habere peccata, scilicet propria & personalia, idque probat Aug. ex fide textus Graeci, in quo non legitur amaritima, id est peccatum, sed amaritima, seu peccata, & Julianum alloquens, absit, inquit, ut Joannes de baptisate parvulorum, eorumque a paterni chirographi liberatione per Christum tot ac tantis Co-Episcopis suis, maximeque Romano Innocentio, Carthaginiensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Medolanensi resistat Ambrosio... Sed tu ejus verba in vestrum dogma convertis. Peccata dixit parvulos non habere, sed propria: unde illos innocentes merito nuncupamus... at inquit, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Ecclesia Catholica non se aliter intelligi arbitrabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur. Juvat insuper observare cum Sylvio, in Editione operum Chrysost. Parisiis anno 1570. & 1588. addo ego & Antwerpiae 1553. quam lego, non haberi, quamvis non sunt, sed, ut non sint conquinati peccato.

Inst. 1. Chrysost. hom. 10. in c. 5. ad Rom. dicit: Ex illius inobedientia alium fieri peccatorem, quam poterit habere Consequentiam? Invenitur quippe nihil debere ponarum, ut qui reus non sit, nisi ex seipso factus sit peccator. Quid igitur est hoc loco, quod dicit (Apostolus) peccatores constituti sunt multi? Mihi significare videtur supplicio obnoxios, mortique condemnatos. Quibus videtur docere Chrysostom. ex peccato Adae, non peccatum, sed solum mortis necessitatem derivari: ergo. R. 1. Mejam multis ostendisse, Chrysost. in hac hom. manifestè & disertè asserere Peccatum Originale; unde necesse est ejus sensum in verbis objectis alium esse ab eo, quem illi affingit objectio, nisi velis S. Doctorem in eodem loco aperte contradictoria loquutum fuisse. Quapropter R. 2. Juxta plures haec verba: Ex illius inobedientia alium fieri peccatorem, quam poterit habere consequentiam? &c. non exprimere mentem Chrysost. sed falsam Judaeorum opinionem, quam sibi objicit. Non intelligebant Judaei, quomodo per unius obedientiam multi constituentur justi, respondet Chrysost. sic ab uno Christo Redemptore derivari justitiam in multos, sicut ab uno Adamo peccante derivari reatus in multos: objicit Judaei, inobedientia unius multos constitui peccatores. Quae Consequentia? Nequidem isti, cum non sint ex se peccatores, debent poenas. (Quae ultima verba adhuc magis evincunt ea non esse Chrysostomi asserenti, sed sibi objicenti, cum sit totus in hac homilia, ut probet Adae posteros ob ejus peccatum esse

varis poenis obnoxios) huic objectioni respondet Chrysost. quid ergo hoc verbum peccatores apud Apost. significat? Et addit, mihi significare videtur supplicio obnoxios & morte condemnatos; quae verba non excludunt, sed supponunt e contra peccatum, cum nemo sit reus supplicii, nisi qui est reus culpae. Alii existimant Chrysostomum, quando dicit, ex unius inobedientia alium non constitui peccatorem, intelligere de peccato actuali, ita ut sensus sit, quod ex hoc, quod Adam inobediens fuerit, non sequatur, quod ejus posteri sint actu inobedientes, sed tantum, quod constituentur peccatores, peccato scilicet habituali, qualis erat Adam post peccatum quando genuit, & ideo supplicio & morti obnoxii.

Inst. 2. Chrysost. hom. 17. in I. Cor. dicit: Quid igitur faciam, inquit, propter illum Adamum peccatorem? Minime propter illum: neque enim tu sine peccato permansisti: Quod si non idem peccatum, aliud tamen commisisisti: ergo. R. Chrysostomum dumtaxat vellet baptizatum, quem hic alloquitur, non peccare propter Adamum, cum Peccatum Originale sit illi dimissum, sed propter peccatum proprium, & personale, quod post Originale remissum commisit.

Inst. 3. Chrysost. hom. 24. in Ep. ad Ephes. dicit, quod primum peccatum corruptit corpus; quod committitur post Baptisum, corruptit animam: ergo R. ut ante, Chrysostomum illic alloqui regeneratos, qui per Baptisum sunt a morte animae liberati, remanente tantum ex Peccato Originale necessitate mortis corporalis; sed, si peccant post lavacrum, possunt corrumpere animam in perpetuum.

Inst. 4. Chrysost. hom. 39. in I. ad Cor. negat omnes mori in Adam morte peccati; exponens enim illud Apost. Sicut in Adam omnes mortuati sunt, ita in Christo omnes vivificabuntur, ait: Anae, dic queso, omnes mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noè vir justus saeculo suo fuit; quomodo Abraham, quomodo Job, quomodo alii omnes? Quid verò dic quosdam ante omnes vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt, qui abducentur in gehennam? Nisi hoc quidem dictum est de corpore, stat quod dicitur; si autem de justitia, & de peccato, nequaquam: ergo. R. D. Ant. Chrysostomus negat omnes mori in Adam morte peccati irreparabili, C. reparabili, N. Duo hic dicit Chrysost. primum non omnes in Adam perisse irreparabiliter ut patet exemplis, quae adfert. Secundum, haec Apost. verba, in Christo omnes vivificabuntur, intelligenda esse de vita, & resurrectione corporum; quia agebat contra Manichaeos, qui negabant resurrectionem mortuorum. Et haec quidem interpretatio non est improbabilis, licet Aug. & alii etiam probabiliter interpretentur.

Obj. 3. Theodoretus in c. 5. Rom. Ad omnes, inquit, mors pervasit, quantenus omnes peccaverunt. Non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum quicquid mortis decretum suscepit. Et in Epitome divini Decretorum c. 12. haec Apost. verba, per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, sic interpretatur, ut nolit omnes intelligi, sed multos tantum: ergo. R. ad 1. sensum esse, quod non propter peccatum Adae, quod sit illius tantum, unusquisque mortis decretum suscepit, sed propter suum Originale, quod est unicuique proprium. Ad 2. Theodoretus sic interpretatur sententiam Apost. quia illam intelligit de peccatis mortalibus actualibus, & personalibus, quae occasione peccati Adae committuntur; & quamvis haec interpretatio non sit legitima, non tamen ideo negat veritatem Peccati Originalis; quin e contra eam ibidem multis asserit.

Ad id, quod opponitur ex Arnobio Juniore, & ex Commentariis in omnes Ep. Pauli, quae circumferuntur sub nominibus Ambrosii & Hieronymi, respondeo hunc Arnobium fuisse Pelagianum, & haec Commentaria falso adscribi Ambrosio, & Hieron. sed prima tribui Hilario Luciforiano, secunda ipsi Pelagio. Possunt insuper objici quidam alii Patres, Origines, Tertull. Justinus, Nyssenus, &c. qui dicunt vel parvulos esse innocentes, vel non esse obnoxios peccato; vel peccatum Adae non transire ad posteros: quibus respondendum est, vel ipsos loqui de peccatis actualibus propria voluntate commissis; vel de peccato Adae, quatenus erat illi personale, non quatenus illius ut capitis.

Obj. 4. a ratione: Non peccat ille, qui nascitur: non peccat ille, qui genuit: non peccat iste, qui condidit: per quas igitur rimas inter tot praesidia innocentiae peccatum fingitur ingressum? Ita Julianus apud Aug. l. 2. de Nupt. c. 28. Respondet ibidem Aug. Quid quaeris latentem rimam, cum habeat apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius hominis inobedientiam, ait Apostolus: Quid quaeris amplius? Quid quaeris apertissimam? Quid quaeris inculcatam? Per voluntatem ergo Adami peccantis, ut erat caput morale omnium hominum, & in quo omnes peccaverunt, peccatum ad omnes ejus posteros transit.

Inst. 1. ex Sap. 10. constat Adamum egisse poenitentiam,

& ejus peccatum fuisse delectum, idque verisimiliter antequam nasceretur ei proles; ergo, quando generabat, nullum habeat peccatum, quod in posteros transfunderet. R. N. Consequ. Quia Adam peccavit ut caput morale totius generis humani, poenitentiam autem egit ut privata persona, & de peccato prout erat illi proprium, & personale, non ut erat peccatum capitis, & naturae, cum jam tunc a dignitate capitis peccando excidisset. Adde, quod Adam erat quidem constitutus a Deo caput morale hominum quantum ad conservationem, vel amissionem justitiae originalis, sed non quantum ad ejus recuperationem. Unde, licet in illo non esset tunc peccatum actu, & formaliter, erat tamen in eo vis seminalis ad traducendam naturam infectam, & privatam justitiam originalem.

Inst. 2. Si in Baptisate deleantur omnia peccata, parentes baptizati non habent amplius Peccatum Originale: ergo non possunt illud transmittere ad filios, neque nati de renatis illud contrahere. Ita iterum Julian. apud Aug. l. 2. contra ipsum in principio. R. ut ante, D. Ant. Parentes baptizati non habent amplius Peccatum Originale formaliter, C. quia ipsis dimissum est: non habent illud virtualiter, N. Habent enim illud in virtute seminis, quod est instrumentum generationis, per quam Peccatum Originale contrahitur cum natura, ut explicabitur infra. Unde Aug. serm. 14. de Verbis Apost. cap. 16. Miraris quare peccator nascatur de semine justis, & non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivae. Accipe aliam similitudinem. Non attendi, quia de grano frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur. Idem de Baptisato non justus nascitur: quia non generat unde regeneratus est, sed unde generatus est.

Inst. 3. Justitia Christi non prodest non credentibus: ergo peccatum Adae non nocet non peccantibus. R. C. totum; Sed, sicut justitia Christi prodest credentibus per se, vel per alios, ut infantibus baptizatis, ita peccatum Adae nocet peccantibus per se, vel per alium, scilicet Adamum, qui gerbat personam a se descendentium: Nec illud liquidè dici potest, inquit Aug. l. 3. de Peccat. meritis c. 7. quod peccatum Adae etiam non peccantibus nocuit, cum Scriptura dicat: in quo omnes peccaverunt.

Inst. 4. Si justus est Deus, non potest imputare peccata aliena, cum propria dimittat: ergo. R. N. Suppositum Ant. Non enim Peccatum Originale est nobis alienum, quia in Adamo peccavimus, & ex hoc peccato nobis voluntario voluntate capitis inest unicuique nostrum peccatum originale proprium.

Supersunt duae graves, & difficiles Objectiones. Prima: Si Peccatum Originale sit vere, & proprie peccatum, debet esse voluntarium; atqui Peccatum Originale non est voluntarium: ergo. Secunda: non potest dici, nec concipi, quomodo Peccatum Originale traducatur ab Adamo in posteros, nam Peccatum Originale est in anima, anima non est ab Adamo, nec a Parentibus per generationem, sed a Deo creatur, ut decisum est in Conc. Lateran. sub Leone X. Sess. 6. Deus autem illum non viciat, non enim est Auctor peccati, & nihil odit eorum, quae facit. Caro, in qua recipitur anima, & semen per quod generatur Caro, cum sint corpora, non possunt agere in animam, & illam inficere, quia est Spiritus; quomodo ergo ista anima invenitur in sua origine peccato infecta, & maculata? Haec ultima difficultas tanta visa est Aug. ut diu dubitaverit, an non anima traduceretur a Parentibus in prolem, sicut corpus (quam tamen sententiam postea abiecit Ep. 57. ad Optatum) & in Ep. 29. ad Hier. dicit, sufficere Christiano scire: quomodo à Peccato Originali possit liberari, licet ignoret, quomodo illud incurrerit; culpataque yanam eorum curiositatem, qui, dum Fidei dogmata negligunt, iis questionibus immorantur: Cum quidam, inquit, ruisset in puteum... Accessit alius, & eo viso admirans ait: quomodo huc cecidisti? At ille: obsecro, inquit, cogita, quomodo hinc me liberet, non quomodo huc ceciderim. Tentavit tamen aliquando hunc modum investigare, & explicare, ut dicam infra, sed nihil inventi, in quo plenè quiesceret. Itaque pro harum objectionum solutione, & antedictorum elucidatione sit

ARTICULUS II.

Quomodo Peccatum Originale sit voluntarium; & quomodo traducatur.

§. I. Supponenda, & Praenotanda.

Suppono 1. Peccatum Originale esse verè, & proprie peccatum 1. Quia passim in Scripturis vocatur absolute peccatum, Joan. 1. Peccatum mundi, Ephes. 2. Eramus natura filii irae. Rom. 5. inimici, ibidem magis peccatores. 2. Concil. Arausic. 2. can. 2. definit, Peccatum Originale non solum mortem corporis afferre, sed etiam animae. Conc. Trid. Sess. 5. can. 2. anathe-

thematē ferit eum, qui dixerit *Adamum mortem & panis corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est anime*: & can. 5. pariter damnat eum, qui dixerit, *per gratiam, que in Baptismo confertur, non tolli totum id, quod verum, & propriam rationem peccati habet* 3. Quia Patres asserentes Peccatum Originale non possunt absque violentia intelligi aliter, quam de peccato proprie dicto. 4. Poena gravis, præsertim mortis, non debetur nisi peccato proprie dicto. Peccato autem Originali debetur poena mortis.

Suppono 2. Peccatum proprie dictum posse sumi dupliciter; 1. Pro actu, vel omissione contra Legem; & vocatur Peccatum actuale ratione cuius homo dicitur peccare. 2. Pro eo quod relinquatur in anima ex actu transacto, ratione cuius homo dicitur proprie peccator, & vocatur peccatum habituale; non quod sit habitus, sed quia habet esse permanentes in anima, est enim macula, seu privatio nitoris gratiæ. Quando ergo dicimus, Peccatum Originale esse verè & proprie peccatum, intelligimus de peccato habituali, quod in privatione iustitiæ originalis consistere dicemus infra. Peccatum autem habituale non est voluntarium formaliter, sed terminative, seu virtualiter, & in causa, quatenus est terminus, & affectus peccati actualis. Quantum ad peccatum actuale Adæ: in nos quidem traducitur, juxta illud Apost. Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt*, sed moraliter tantum, & denominativè extrinsecè; quia actus secundus solum denominat intrinsecè eum, a quo est, & in quo inest; quamvis autem fuerimus in Adam quando peccavit, non tamèn eo eramus actu, sed potestate tantum. Undè, sicut denominatio futuri est tantum extrinsecè, ita extrinsecè denominatur peccasse in Adam; ad Peccatum Originale est formaliter, & intrinsecè in nobis, seu, ut dicit Trid. sess. 5. can. 3. *inest unicuique proprium*.

Suppono 3. Adamum fuisse a Deo constitutum caput, non solum naturale, sed etiam morale omnium hominum quantum ad conservationem, aut amissionem iustitiæ Originalis; ita ut ipse Adam, & omnes ejus posterii censeant tanquam unum corpus, cuius ipse Adam sit caput, atque gerat personam omnium in eo, in quo est caput, & voluntas ipsius in ratione capitis sit voluntas omnium posterorum; sicque, quicquid vellet in ratione capitis, ipsi etiam vellet, non voluntate propria, & personali, sed communi voluntate sui capitis. Rem ita explicat S. Thom. hic. q. 81. art. 6. *Omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt: secundum quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus, & tota communitas quasi unus homo... sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus non est voluntarius voluntate ipsius manus sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Undè homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui peccatum, si consideraretur manus secundum se ut divisa a corpore; sed imputatur ei, in quantum est aliquid hominis, quod movetur a principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generata, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex eius origine derivantur; sicut voluntas movet omnia membra ad actum.*

Ad hoc autem, ut Adam esset caput nostrum morale, & voluntates nostræ includerentur in ejus voluntate quoad conservationem, aut amissionem iustitiæ originalis, duo fuerunt necessaria; unum ex parte Dei, alterum ex parte Adami. Ex parte Dei fuit necessarium decretum, quo Deus stateret voluntatem Adæ esse habendam pro voluntate nostra, quod est ipsum constituere caput morale nostrum. Ex parte Adæ fuit necessarium, ut istud decretum illi manifestaretur. Primum patet; quia quod Adam sit caput nostrum morale, & voluntas ejus in nostra, non habet ex ipso Jure naturæ, & quia est principium nostrum naturale: alioquin fieri non potuisset, quin in eo peccassemus; neque esset ratio, cur primum ejus peccatum tantum, & non alia, nobis imputarentur; ac denique idem a fortiori concedendum foret proximis parentibus: ergo id habuit ex institutione divina, quæ dicitur decretum includit. Secundum etiam patet; quia, si hoc decretum non innotuisset Adamo, ignorasset invincibiliter se operari ut caput morale hominum, proinde non peccasset ut tale, sed ut persona privata, neque ejus transgressio fuisset ullo modo voluntaria posteris. Ut enim sit illis certo sensu voluntaria, debet fuisse volita ab Adamo voluntate communi, ea scilicet, qua sustinebat personam totius generis humani; non potuit sic esse ab eo volita, nisi sciverit se esse caput morale, & gerere personam generis humani. Quidam hoc decretum sic manifestatum Adæ vocant pactum inter Deum, & Adam, dicitur quod illud esse indicatum his verbis Osee 6. *Ipsi sicut Adam*

transgressi sunt pactum; ibi prævaricati sunt in me. Quominus ita vocetur, nihil obstat: modo tamèn non adstruatur ex parte Dei speciale præceptum servandi iustitiam originalem, & ex parte Adami voluntaria obligatio, qua se, promittendo, adstrinxerit Deo servare divinum mandatum, & per hoc iustitiam originalem; quia, sicut non tenemur servare gratiam baptismalem præcepto speciali distincto a præceptis Decalogi, & aliis, quorum transgressio amittitur (alioquin qui furaretur, v. gr. duplex peccatum committeret, unum contra istud speciale præceptum, aliud contra præceptum non servandi) non est ratio, cur dicamus Adæ fuisse impositum speciale præceptum servandi iustitiam originalem, distinctum a præcepto non comedendi de fructu vitæ. Insuper, cum promissio facta Deo sit votum, si Adam promittendo se obligasset ad servandum divinum mandatum, peccasset contra votum; quod nemo dixit.

Suppono 4. Deum hoc decretum potuisse facere absque ulla iniuria; 1. Quia, cum sit supremus omnium Dominus, & ut dicit Aug. magis habet in sua potestate voluntates nostras, quam non ipsi, sicut nos possumus in alium transferre voluntatem nostram, ita Deus jure suo potuit, non requisito consensu nostro, cum tunc non essemus actu, transferre voluntates nostras in voluntatem Adæ; non quatenus sumus singulares personæ, sic enim quisque habet propriam voluntatem, & est arbiter sui; sed quatenus sumus partes, & membra totius naturæ ab Adam propagandæ. Simile quid contingit in humanis, dum Princeps includit voluntatem pupilli in voluntate tutoris quantum ad actus civiles; aut dum Magistratus agit nomine totius communitatis cum Rege, & illi exhibet juramentum fidelitatis. 2. Quia istud decretum erat in rem, & bonum nostrum; si enim Deus suis præceptis nos obligaverat in Adam, nos etiam suis donis gratuitis in illo cumulaverat, ita ut, si Adam perseverasset, simul cum natura ab eo accepissemus iustitiam originalem, & omnia bona ei annexa. Adamum autem Deus tot gratis ornaverat, tot auxiliis muniverat, ita contra tentationes vallaverat, ut magis speranda esset perseverantia, & commoda securura, quam timenda prævaricatio, & mala securura. Undè, si talis conditio nobis hodie proponeretur, nemo prudenter eam recusaret.

Dices 1. S. Aug. disputans contra Pelagianos non meminit hujus decreti: ergo. R. 1. D. Ant. Non meminit explicitè C. Implicite, N. Dicit enim Aug. l. 1. de peccat. meritis c. 10. omnes peccasse in Adam, quando omnes illo unus homo fuerunt. Libr. contra duas Ep. Pelagian. dicit pariter omnes in Adam peccasse, quia in illo fuerunt omnes, quando peccavit. Et Ep. 23. ad Bonifac. dicit hominem nascendo traxisse culpam; quia unus erat cum illo, & in illo, a quo traxit, quando quod traxit, admissum est; atqui, non quia unus erat cum illo, & in illo physicè ratione seminis: alioquin non solum primum peccatum Adæ, sed & sequentia ipsius Adæ, & proximorum parentum eadem ratione nobis imputarentur, ut jam dixi supra: ergo, quia unus erat cum illo, & in illo moraliter; quod fieri non potest nisi per decretum divine voluntatis sic ordinantis. R. 2. Esto Aug. non meminerit hujus decreti, nihil inde contra nos, quia scopus Aug. erat probare contra Pelagianos, id quod est fidei, scilicet existentiam Peccati Originalis. De modo autem, quo illud in nos transfunditur; semper dubius hærret, ut notavimus: undè nihil ab ejus mente alienum defendimus; cum id, quod sub dubio reliquit, per modum inter probabiles probabiliorum explicamus.

Inst. Aug. l. 6. contra Julian. c. 20. dicit, quod, si diabolus gigneret filios, gigneret peccato obnoxios; atqui id fieret sine decreto: ergo. R. N. Maj. Non enim hoc dicit Aug. sed cum Julianus ipsi objecisset, quod sicut unus diabolus non damnatur vitio alterius diaboli; sed proprio vitio, ita unus homo non debeat damnari propter peccatum alterius, sed propter proprium peccatum respondet Aug. *Non attendit quod diabolus non ex alio diabolo creavit Deus; & addit: adjuvaret se fortassis hoc argumentum, si, ut homo, ita diabolus gigneret filios, eosque paterno peccato negarem obnoxios.* Ubi Aug. nihil asserit, sed supponit tantum, quod si negaret, non negat autem, nec affirmat.

Dices 2. Juxta Apost. Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituuntur multi;* atqui Christus non fuit aliquo decreto constitutus caput generis humani ad justificationem: ergo nec Adam ad perditionem. R. N. Conseq. Quia comparatio Apostoli non est quoad omnia: in hoc subsistit, quod, sicut omnes, qui nascuntur ex Adam, constituuntur peccatores, ita omnes, qui renascuntur ex Christo, constituuntur iusti; sed in hoc deficit, quod obedientia Christi concurrat ad nostram justificationem per modum meriti alieni, non per modum actus nobis voluntarii; inobedientia autem Adæ constituit posteros peccatores, & inobedientes, tanquam actus illi moraliter voluntarii; ad quod requiritur, quod Adam fuerit constitutus eorum caput morale.

Inst.

Inst. 1. Deus non potuit sic constituere Christum caput nostrum morale, & nostras voluntates in ejus voluntate includere; ut illo obediente censeremur obedire: ergo nec sic concludere voluntates nostras in voluntate Adami, ut illo non obediente censeremur inobedientes. R. Quosdam negare Ant. Quia revera in hoc nulla videtur implicancia: sed fide constat, non ita factum esse; quod dici non potest de Adamo. Alii dissimulato Antec. negant Conseq. Disparitas est, quod, cum voluntas humana sit peccabilis, & voluntas Christi impeccabilis, indecens sit voluntatem peccabilem fieri unam moraliter cum voluntate impeccabilis; quæ indecencia non concurret respectu Ad.

Inferes: ergo potest Deus nunc sic includere voluntatem meam in voluntate alterius adulti, ut ipso peccante peccem; & sic fieri, quod peccem moraliter eo instanti, quo elicerem actum ferventissimæ charitatis. Similiter poterit Deum includere appetitum bruti in meo appetitu, sic ut quoties appeto cibum, brutum etiam appetat; utrumque Consequens est absurdum: ergo. R. N. utramque sequelam. Ad 1. ratio disparitatis in ipso argumento profertur: implicancia enim, quam involvit ista sequela, & propter quam non est possibilis, non habebat locum, quando voluntas posteriorum Adæ non existentium includebatur in ejus voluntate. Aliunde Deus vult adultos esse arbitros sui. Ad 2. disparitas est, quod inclusio voluntatum nostrarum in voluntate Adami sit moralis, quatenus nempe voluntas humana habet effectus morales & efficaciam moralem, quæ potest aliunde suppleri; at appetitus bruti non habet nisi effectus physicos & vitales, qui necessariò procedunt a principio intrinsecè & vitali ipsius bruti. Sicut ergo Deus non potuit ita concludere voluntatem meam in voluntate Adami, ut ipso volente ego volerem physicè, & personali voluntate, sed moraliter tantum, quia ejus voluntas supponebat pro mea; ita non potest sic includere appetitum bruti in meo appetitu; ut me appetente cibum, brutum physicè, & proprio appetitu etiam appetat cibum. Ex his spontè fluunt solutiones duplicis objectionis. Undè sit

§. II. Resolutio difficultatum.

Dico 1. Peccatum Originale est nobis voluntarium, non formaliter per modum exercitii, quia non est peccatum actuale; sed terminative virtualiter & in causa, quia est de genere peccati habitualis, non physicè & voluntate personæ, quia tunc non eramus actu, quando peccavit Adam; sed moraliter voluntate capitis, quæ ex Dei institutione supponebat pro voluntatibus nostris.

Inst. 1. Voluntarium est a principio intrinsecè cum cognitione finis; atqui Peccatum Originale non est infantibus ab intrinsecè, sed potius ab extrinsecè, scilicet Adamo; neque cum cognitione finis, ejus infantes sunt incapaces: ergo. R. D. Min. Peccatum Originale non est infantibus a principio intrinsecè proprio & personali, & cum cognitione propria & personali. C. Non est a principio intrinsecè, & cognitione totius naturæ humanæ, scilicet a voluntate & intellectu Adami, in quo nos omnes continemur, & qui sustinebat personam omnium, N. Patet ex dictis.

Inst. 2. Voluntarium liberum, de quo hic est questio, est in potestate nostra; sed Peccatum Originale non est in potestate nostra: ergo. R. D. Min. (In 2. d. 30. q. 1. art. 2. ad 1.) Peccatum Originale non est in potestate nostra, ut sumus personæ singulares; C. Ut sumus membra totius naturæ humanæ, N. Cum enim fuerit in potestate nostri capitis, in quo continemur, peccare, vel non peccare fuit etiam in nostra potestate.

Inst. 3. Quod est necessarium & inevitabile, non est voluntarium liberum, seu non est in potestate nostra; atqui Peccatum Originale est necessarium & inevitabile: ergo. R. D. Min. Est necessarium & inevitabile ex suppositione, C. Absolutè, N. Potuit enim illud vitare Adam, in quo continemur; unde potuimus & nos, quod sufficit ad veram rationem peccati.

Inst. 4. Quod convenit per naturam & originem, non pertinet ad genus moris, consequenter non est voluntarium, nec peccatum; atqui Peccatum Originale nobis convenit per naturam & originem; unde dicitur peccatum natura: ergo. R. D. Maj. Quod convenit per naturam & originem, sine ordine ad liberam voluntatem, non pertinet, & C. Maj. Cum ordine ad liberam voluntatem. N. Maj. Ad hunc sensum D. Min. Peccatum Originale convenit per naturam, & originem sine ordine ad liberam voluntatem, N. Cum ordine ad liberam voluntatem Adæ, quæ fuit nostra, N. Min. & N. Conseq.

Inst. 5. Ut, quod alter facit, imputetur mihi, debeo illi commississe voluntatem meam, aut illud ratum habere; atqui Adam non commissimus voluntates nostras, nec ejus peccatum ratum habuimus: ergo. R. D. Maj. Requiritur, quod illi com-

missimus voluntates nostras physicè, vel moraliter. C. Maj. Semper physicè propria voluntate, N. Ad cuius sensum D. Min. Non commissimus physicè voluntates nostras Adamo, & C. Min. Moraliter, N. Min. Hoc ipso enim quo Deus constituendo Adamum caput nostrum naturale, & morale illi commissimus voluntates nostras, moraliter ipsi nos commissimus. Id autem potuisse Deum absque iniuria, constat ex §. præced.

Dico 2. (Hic art. 1. ad 2. q. 3. de pot. art. 9. ad 3.) Peccatum Originale traducitur per generationem, non quia per illam anima traducatur, hæc enim creatur a Deo, nec Deum em inficit, ut bene dicit objectio; neque quia caro, aut semen agit efficienter in animam, ut iterum probat objectio: sed quatenus semen movet dispositive ad animam, & ad ejus conjunctionem cum corpore, ex qua conjunctione fit hic homo, hæc natura humana; non enim generatio terminatur ad productionem solius formæ, aut materiæ; sed totius compositi. Per generationem itaque virtute seminis habetur, & traducitur natura ab Adam seminaliter propagata, consequenter per concomitantiam, seu resultantiam traducitur & culpa, quia traducitur natura privata iustitia originali, privatione nobis voluntaria in Adamo, in qua privatione consistit essentialiter Peccatum Originale, ut dicemus infra. Quod totum his paucis verbis complexus est Doctor Angelicus (Q. 4. de malo art. 1. ad 2.) *In semine est corruptio originalis peccati, non actu, sed virtute, eo modo quo est ibi virtus natura humana. Et explicat q. cit. de pot. dicens: Humana natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur; & ex hoc infectionem incurrit, quod sit cum carne traducta una natura, si enim infunderetur, non ad constituendam unam naturam, sicut Angelus infunditur corpori assumpto, infectionem non reciperet. Ex his colliges, causam efficientem moralem peccati Originalis esse peccatum Adæ, causam autem quasi instrumentalem esse semen, quo natura producitur.*

Explicatur: Dicitur *causa efficiens moralis*; tum quia non potest dari causa efficiens actione reali, & physica Peccati Originalis, cum non sit quid positivum, sed privatio iustitiæ originalis, quæ non habetur per expulsionem formæ præexistentis ut in Adamo, sed quæ jure quasi hereditario contrahitur ab eis, qui descendunt ex Adam: tum quia, cum Adæ peccatum tunc, cum concipitur vel nascitur infans, non amplius existat, sed diu præterit, non potest realiter, & physicè causare in illo infante Peccatum Originale. Neque etiam dici potest, quod sit causa demeritoria Peccati Originalis; quia, sicut si Adam permansisset in iustitia originali, eadem iustitiam in posteris transmississet propagando naturam hujusmodi iustitia præditam, sed nequaquam hæc illis inuisset; ita post peccatum transmittit naturam iustitia originali privatam, non demerendo, sed propagando. Attamen, cum secundum Scripturas, & Patres peccatum Adæ sit aliquo sensu causa peccati originalis, restat, quod sit causa moralis, ad quam non requiritur, quod actu existat, sed quod existerit, & posuerit id, unde sequitur Peccatum Originale. Quantum ad semen, non potest esse causa proprie instrumentalis efficiens reali, & physica actione Peccati Originalis, ut dictum est modo. Undè dicitur causam quasi instrumentalem, quia est instrumentum naturæ generandæ, quam committitur culpa: & hoc sensu S. Thom. hic q. 83. art. 1. dicit, Peccatum Originale esse in semine tanquam in causa instrumentali. Alii dicunt conditionem sine qua non, quatenus actio generativa est medium ordinatum, quo de uno in alium traducitur natura, & ex consequenti culpa, quæ talem naturam committatur.

Dices 1. Si Peccatum Originale sequatur ex generatione, seu traductione naturæ, illicitum erit matrimonium & ejus usus, Falsum Consequens: ergo. Itaque arguebat Julian. contra Aug. R. D. Maj. Si Peccatum Originale sequatur per se ex generatione, matrimonium erit illicitum, C. Si sequatur per accidens, N. & distincta Min. ad sensum majoris, N. Conseq. Non ergo Peccatum Originale sequitur per se ex actu generationis; si enim non peccasset Adam, fuisset generatio, & non fuisset peccatum, sed est causa per accidens, quatenus supponit peccatum Adæ capitis nostri morales.

Inst. Homo tenetur cessare ab actu, ex quo sequitur malum, etiam per accidens tantum: ergo. R. D. Ant. Si non habeat justam causam prosequendi jus suum, C. Secus, N. Conjuges autem propter bonum naturæ humanæ habent justam causam vacandi generationi; præsertim cum malum, quod inde per accidens sequitur, non sit novum peccatum actuale, sed nova macula ex antiquo peccato resultans, proinde non actuali voluntati generandi, sed antiquæ voluntati peccandi imputabilis.

Inferes: ergo, saltem quoties homo generatur, toties Adam peccat. R. N. Illationem, quia traductio Peccati Originalis in eos, qui generantur, non est amplius libera Adamo, & prior mala voluntas ejus est retractata atque condonata.

Di-

Dices 2. Aug. 1. s. contrā Jul. c. 3. dicit: *Profecto aut utrumque* (scilicet corpus, & anima) *vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vase vitiatum corrumpitur... quod autem horum sit verum libentius disco, quam dico, ne audeam docere, quod nescio.* Primum nunc admitti non potest: ergo posterius est admittendum. R. jam observavimus, nihil Aug. fuisse rectum circa modum, quo traducitur Peccatum Originale: & hæc, quæ opponuntur, potius dicit inquirendo, quam asserendo. Cæterum secundus modus, quem proponit, non est alienus a nostro: sensus enim ejus est, quod, quamvis anima, ut est a Deo, & antequam carni conjungatur non sit corrupta, corrumpitur tamen per conjunctionem, quatenus per eam fit pars hominis, qui peccavit in Adam. Vocat ergo carnem vas corruptum, non quod, antequam infundatur ei anima, sit infecta Peccato Originali, sed quia habet dispositionem ad animam, & ad constituendam cum illa naturam, quæ Adamo peccante peccavit.

Inst. Aug. l. 1. de Nuptiis & Concup. c. 24. dicit, *carnem vitari & corrupti, quia generatur cum libidine*: ergo non generatione, sed libidine traducitur Peccatum Originale. R. D. Conseq. ergo non generatione præcisè secundum se traducitur Peccatum Originale, C. Non generatione, præsupponente culpam capitis, N. Sensus ergo Aug. est, quod caro vitietur, non præcisè quia generatur, sed quia generatur ex natura corrupta: hujus argumentum est libido, sine qua nunc non fit generatio.

ARTICULUS III.

Varie Questiones circa traductionem Peccati Originalis breviter resolvuntur.

Petes 1. Quodnam Adæ peccatum fuerit causa traductionis Peccati Originalis? R. Probabilius cum Auctore (In 2. d. 33. in 2. exposit. textus post q. 2. et 2. q. 163. art. 3. ad 2.) fuisse primum, non quia tale, sed quia primum. Quia illud peccatum Adæ fuit causa traductionis Peccati Originalis, per quod amisit justitiam originalem transfundendam in posteris; atqui, quodcumque peccatum fuisset primum, sive operis, sive voluntatis, per illud amisisset justitiam originalem, amittendo scilicet gratiam sanctificantem, quæ erat radix justitiæ originalis, aut saltem in ea includebatur: ergo.

Dices 1. quod per quodcumque peccatum amisisset equidem sibi justitiam originalem, sed non posteris: ergo. R. N. Ant. Sic enim Adam erat constitutus caput morale hominum, ut, si sibi servaret justitiam, posteris servaret; si sibi amitteret, pariter posteris amitteret. Adde, quod amissa justitia originali non remansisset vigor illam traducendi, quippe qui ab illa dimanabat.

Inst. Nullum aliud peccatum præter esum fructus vetui fuisset capitale: ergo. Prob. Ant. Soli illi esui facta est comminatio mortis, Gen. 2. *De ligno scientiæ boni et mali ne comedas, in quocumque enim die comederis morte morieris*: ergo. R. N. Ant. Ad probationem D. soli esui fructus vetui facta est explicite comminatio mortis, C. (In 2. cit.) Nec mirum, quia hoc fuit solum præceptum positivum, quod Deus imposuit Adæ, ejus strictam obligationem significare voluit per comminationem explicitam mortis. Implicitè, N. Imò, inquit Auctor citatus, *in hoc ostenditur, etiam alia peccata commisisset, quod similem penam sustinisset, quasi a minori: gravius est enim præceptum præterire legis naturalis, quo prohibetur illud, quod in se est malum, quam præterire præceptum discipline, quo prohibetur, quod non est malum nisi quia prohibetur.*

Dices 2. Causa traductionis Peccati Originalis fuit in Adam ejus inobedientia, seu transgressio præcepti de non comedendo de ligno vetito, juxta illud Rom. 5. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi*; atqui primum peccatum Adæ non fuit illa comestio, sed superbia, ut docent passim SS. Patres, & nominatim S. Thom. 2. 2. q. 163. art. 1. ergo. R. D. Min. Primum peccatum Adæ fuit superbia seorsim ab inobedientia, seu transgressione præcepti de non comedendo de ligno vetito, N. Fuit superbia simul includens inobedientiam, C. Superbia enim fuit Adami motivum inobediendi, & comedendi de ligno vetito. Audiens namque ab Eva se, si comederet de illo fructu, fore Deo similem, in superbiam elatus, ex motivo hujus assimilationis concepit voluntatem comedendi; ita ut comestio exterior fuerit executio superbiæ voluntatis, eamque incluse- rit ut complementum illius, nec illius tantum, sed plurium aliarum difformitatum, ut infidelitatis, gulæ, fornicationis spiritalis, avaritiæ, ingratitude, &c. quæ in ista comestione reperiuntur: ut docent SS. Patres, & speciatim Auctor q. seq. 82. art. 2. ad 1. Dum ergo tribuitur traductio Peccati Originalis Adæ inobedientiæ, seu comestioni de ligno vetito, non excluditur superbia, nec aliæ difformitates, quæ in illa comestione

includuntur, & quarum est executio & complementum; sed ideo illi tribuitur, quia effectus solet tribui actui exteriori: sic v. gr. fur dicitur suspensus præcisè propter futurum, licet potuerint in eo furto includi avaritia, superbia, gula, adulterium, homicidium, sacrilegium, &c. quæ fortè fuerit illi motiva futuri.

Petes 2. Utrum alia peccata primi parentis, vel proximo- rum parentum traducantur in posteris? R. negativè. (Hic q. 81. art. 2. o.) Quia in tantum peccatum primum Adæ traducitur in posteris, in quantum erat a Deo constitutum caput morale omnium posterorum quantum ad conservationem, aut amissionem justitiæ originalis; atqui proximi parentes non ita sunt constituti caput morale sue stirpis, & ipse Adam per primum peccatum a dignitate capitis exciderat: ergo.

Confirmatur. (Ibid.) Ea, quæ sunt purè personalia, seu quæ directè pertinent ad individuum, ut sunt personales actus, & quæ ad eos pertinent, non traducuntur in posteris: sic Grammaticus non traducit in filium scientiam Grammaticæ, quam proprio studio acquisivit, sed solum ea, quæ pertinent ad naturam speciei; atqui peccatum primi parentis post primum, & peccata proximorum parentum directè pertinent ad individuum, & non ad naturam speciei: ergo. Prob. Min. Illud peccatum ad naturam speciei pertinet, per quod tollitur illud, quod ad naturam speciei pertinet; atqui solum primum peccatum Adæ, non sequentia, neque peccata proximorum parentum, tollit quod pertinet ad naturam speciei, scilicet donum justitiæ originalis, toti naturæ a Deo in Adæ gratuito collatum: ergo. Hinc damnata est hæc propositio: *Omne scelus est ejus conditionis, ut eum Auctorem & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecti prima transgressio.* Est 52. inter Baianas.

Dices: Aug. Enchirid. c. 4. scribit, non improbabili- ter dicitur parvulos obligari peccatis proximorum parentum. Idem S. Leo Ep. 86. c. 4. & S. Prosper libr. sentent. ex Aug. sentent. 306. dicit, quosdam parentes aggravare peccatum originale: ergo. R. 1. (Ibid.) Aug. equidem hanc questionem movere in Enchirid. sed insolutum relinquere, de ea enim dicit c. 47. *remere non audeo affirmare.* Imò c. 43. & 44. agnoscit in parvulis unicum peccatum originale. R. 2. Tam ad Aug. quam ad S. Leonem & S. Prosper. parvulos obligari peccatis parentum, & parentes aggravare peccatum originale in filiis, non quod peccata parentum transeant ad filios, sed quia filii quandoque puniuntur propter peccata parentum, quatenus Deus puniendo filios punit parentes in eo, quod est aliquid eorum, vel quatenus punit filios, peccata equidem illis debita, vel pro peccato originali, vel pro peccatis personalibus; sed quam non inflixisset, si parentes non peccassent; quandoque enim Deus propter peccata parentum filios præmatura morte aufert, ut patet in filiis Sodomitarum, & in filio Davidis adulteri; qui, si diu vixissent, fortè poenitentiam egissent.

Petes 3. Utrum, si, Adamo non peccante, Eva peccasset, posteris contraxissent peccatum originale? R. negativè. (Ibid. art. 5. o. Ib. in a. s. c.) Prob. 1. Apost. Rom. 5. dicit: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit*; atqui, si femina Peccatum Originale in prolem transmiseret, magis dicendum fuisset, per duos homines, cum ambo peccaverint, vel potius per mulierem, quæ primò peccavit: ergo. Confirmatur: Ibidem dicit Apost. *Per unius delictum, per unius inobedientiam peccatum in mundum intrasse, & semper illic comparat unum uni, scilicet Adamum Christo*: ergo idem, quod antè. Prob. 2. Conc. Trid. sess. 3. Can. 2. definit, prævaricationem Adæ non sibi soli, sed ejus posteris nocuisse, & acceptam a Deo justitiam non sibi soli, sed & nobis perdidisse; atqui, si peccatum originale transfunditur ab Eva, nihil nobis nocuisset Adam, nec nobis perdidisset justitiam, quam a Deo acceperat, si quidem illam totam perdidissemus in Eva peccante: ergo. 3. Solum Adam, & non Eva, constitutus fuit caput morale posterorum quantum ad conservationem, vel amissionem justitiæ originalis: consequenter peccatum Adæ fuit capitale, peccatum autem Evæ personale: ergo. (Ibid. o.) Hujus divinx ordinationis ratio congrua est, quia vir vel est solum principium activum generationis, ut vult S. Thom. post Aristotelem; vel saltem, ut omnes concedunt, est principalius; atqui congruum erat, ut Deus ordinaret statum justitiæ, vel injustitiæ originalis in hominibus pendere vel a solo, vel a principali principio activo, a quo omnes dependunt & generantur ergo.

Dices 1. Eccle. 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes mortuuntur*: ergo. R. Mulierem dicit initium peccati, & per illam nos modi, non quod ejus peccatum ad nos traducatur, non enim dixit Sapiens, in quo omnes peccavimus; sed occasionaliter, quia induxit virum ad peccatum, quod in nos derivatur: hoc autem dixit Sapiens, ut doceret viros, ne nimio amore suis uxori- bus adhaerent. Juxta hanc solutionem intelligi possunt quidam Patres, qui videntur

ARTICULUS IV.

Utrum omnes homines contrahant Peccatum Originale?

Dico: Secundum Fidem Catholicam tenendum est, omnes omnino homines ex Adam seminaliter propagatos, secliso speciali privilegio, contrahere Peccatum Originale. (Ibid. art. 3. o.) Prob. 1. (Ibid.) Ex illo Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Quia alioquin non omnes indigerent redemptione quæ est per Christum, quod est erroneum. 3. Quia traducitur in omnes natura privata justitia originali, in qua privatio- ne ut voluntaria in capite consistit peccatum originale, ut dicemus modò. 4. Patet ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ solet, & maxime sollicita est, ut infantes quorumcumque & fidelium & justorum baptizentur, ne in æternum damnetur. Tandem id probant, quæcumque protulimus in probationem existentis peccati Originalis.

Dixi 2. Omnes, ex Adam seminaliter propagatos, ut exciperetur Christus, qui non ex vitili semine, sed mystico spiramine fuit conceptus; sique cum non contraheret in lumbis Adæ peccatis, in ipso non peccaverit. Dixi 2. Secliso speciali privilegio; quia multorum est pia opinio, B. Virginem Mariam fuisse immunem, non quidem a debito contrahendi, sed ab actuali contractione Peccati Originalis.

Opinionem dico: quia nihil huc usque hac de re definit S. Mater Ecclesiæ. Quod enim afferri posset ex Conc. Basiliensi pro Conceptione immaculata, nemini non notum est hoc Concilium pro tunc fuisse acephalum, consequenter ejus definitio- nem nullius esse auctoritatis. Liberum ergo cujus relicto Ecclesiæ amplecti quam voluerit partem, vetans sub excommuni- catione, ne alterutra pars alteram errorem vel hæresim notare præsumat. Ita Sixtus IV. Bulla *Grave nimis*, confirmata in Conc. Trid. sess. 5. Plus V. Bulla *Super speculam*, data ann. 1570. Paulus V. Bulla *Regis pacifici*, ann. 1616. Patet insuper ex dupli- ci Rescripto Gregorii XV. uno ad Regem Catholicum, altero ad ejus amitam Margaritam a Cruce Moniale Disceal- tam Madriti, postulantes & urgentes pro hujus articuli defini- tione. Regi sic respondet Pontifex: *Spiritus S. vocem auscultare, non humanarum rationum ponderibus rem examinare debe- mus, qui in divine sapientiæ Cathedra a Christiano orbi a Deo præfatus sumus. Quare, cum nondum Æterna Sapientia Ecclesiæ suæ tantum mysterii penetralia patefecerit, in Dei Romanorum- que Pontificum auctoritate debent Fideles conquiescere.* Sic autem Regis amite rescribit: *Cum ipsi B. Mariæ obedientia gratior sit, quam sacrificium, hi tunc demum eam pie ac sapienter colunt, qui Apostolicæ auctoritatis legibus seipos, suasque operationes subjiciunt. Spiritus S. accuratisimè præcisus exoratus, nondum tanti mysterii arcum Ecclesiæ suæ patefecit: nos autem, non nisi eo præeunte, æternitatis volumen in Christianis Sapientia legere debemus.*

Et quamvis Paulus V. Decreto universalis Inquisitionis 1617. ad evitanda scandala, jurgia, & dissensiones prohibuerit, ne pars affirmans B. Virginem fuisse conceptam in peccato originali in publicis concionibus, lectionibus, & actibus publicis defenderetur; atque id Gregorius XV. Decreto pariter universalis Inquisitionis 1622. extenderit ad privata colloquia, & scripta, excep- tis quibus a S. Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum; declarant tamen, se per hoc non intendere reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre; & ab hoc silentio, ut notat Bertrandus Loth, Gregorius XV. excepit FF. Predicatores, ut liberè, & licitè possint inter se de hac materia tractare, non propriam sententiam explicare. Itaque juxta prudens monitum S. Antonini 1. p. Summæ tit. 8. c. 2. quisque sic uni istarum opinionum inhereat, quod paratus sit tenere contrarium, si Ecclesiæ contrarium determinet.

Petes 1. Utrum, si aliquis ex humana carne miraculose formaretur, contraheret peccatum originale? R. Negativè; (Ibid. art. 4. a.) quia illi soli contrahunt peccatum originale, qui originaliter descendunt ab Adam secundum seminale rationem, seu virtute seminis originaliter ab Adam decisi, & non tantum secundum corpulentam substantiam, non enim esset factus per virtutem activam seminis, sed per divinam virtutem: ergo. Prob. Maj. Peccatum Adæ traducitur in posteris, in quantum sunt ejus filii, seu in quantum ab eo moventur per generationem, hoc est, in quantum eos movet, ut generentur; atqui movere per generationem est proprium virtutis activæ, quæ est in semine: ergo. Undè Conc. Trid. sess. 6. c. 3. dicit: *Nisi homines ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti.*

Dices: Peccatum Originale traducitur a primo parente in omnes, qui in illo peccante fuerunt; atqui iste homo fuisset in Adam: ergo. R. Ex Dictis D. Min. (Ibid. ad 3.) Iste homo foisset in Adam secundum corpulentam substantiam, sicut fuit

Itè Chris-

tur referre peccatum originale etiam ad Evam. Si dicas, per Adam Gen. 5. intelligi Adam & Evam; Vocati nomen eorum Adam. R. eo loco Scripturæ nomen Adam juxta linguam Hebraicam esse nomen appellativum, & significare hominem; apud Apost. autem est nomen proprium.

Dices 2. Præceptum Dei, de non comedendo ligno vetito spectabat Evam non minus, quam Adamum: ergo. R. D. Spectabat Evam ut personam particularem, C. Ut caput morale generis humani, N. Id soli Adæ competebat.

Petes 4. Utrum, si, non peccante Adamo, aliquis ex ejus posteris, puta Cain, peccasset, posteris Caini contraxissent peccatum originale. Respondetur communiter negativè, propter eandem rationem: quia scilicet solus Adam, & non Cain, aut alter ex Adæ posteris erat constitutus caput morale omnium hominum quantum ad conservationem, aut amissionem justitiæ originalis. Ita sentiunt Medina, Bellarminus, Valentia, Becanus, Tannerus, & alii, quos citat & sequitur Sylvius; item Salmantine. Gonet, Serra; & communiter Thomiste.

At Hinc, responsioni opponitur difficultas auctoritas D. Thom. qui q. 5. de malo art. 4. ad 5. dicit expressè: *Si aliquis ex posteris Adam peccasset, eum non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit; sed posterius ejus moreretur propter peccatum originale.* Propter hanc auctoritatem præsertim P. Jansens. Elinga contendit, sententiam responsioni contrariam esse de mente S. Thom. idque ulterius probat argumento fundato in hoc principio S. Doctoris hic q. 81. art. 2. o. *Justitiæ originalis, in qua primum homo conditus fuit, erat accidens naturæ speciei concessum, & homo moraliter generat sibi simile secundum speciem.* Ex quo sic argumentatur: Sicut quilibet posterorum Adæ, præditus originali justitia, quæ erat accidens naturæ speciei, illam transfunderet in posteris; ita etiam quilibet eorum, qui habuisset illam, sed eadem dein privatus, ejus defectum tanquam acci- dens naturæ speciei transfunderet deberet in suos descendentes. Difficiter non possumus, quin & hæc auctoritas & hoc argu- mentum probabilem reddant hanc opinionem. Dicam tamen, quid alii respondent, at respondere possunt. Ad textum S. Thom. quidam suspiciant esse corruptum, nec sine funda- mento. Cùm enim S. Doct. q. 4. de malo immediate præced. art. 8. ad 3. neget hanc propositionem, *Si, primo homine non peccante, aliquis posterorum ejus peccasset, corrupta fuisset in eo natura humana, & talem transmisisset in posteris*; non est credibile, quod quæst. immediate sequenti illud ipsum assererit. Alii eadem ratione mortificunt, S. Thom. non loqui in objectione vi præsentis decreti, sed vi alterius decreti, quod existimavit futurum in illa hypothesi. Nam, si Deus decrevisset non permittere peccatum in Adamo, & permittere in ejus filio, probabile est, quod constituisset hunc filium caput morale suorum descendenti- um: quo supposito ipse filius moreretur propter suum peccatum actuale, & posterius propter originale, quod contraheret ab isto Parente, Adæ filio. Omitto, quod alii dicunt. S. Thom. in hac præsentiq. 81. art. 2. revocasse hanc priorem sententiam in hoc, quod dicit, *impossibile esse, quod aliqua peccata proximorum parentum... per originem traducantur.* Quia hic loquitur de paren- tibus, qui nunquam habuerunt justitiam originalem. Ques- tione autem 5. de malo loquitur de parente, in quo erat justitia originalis.

Ad argumentum responderi potest, quod, cum iste filius Adæ, vi præsentis decreti; non esset constitutus caput mora- le suorum descendenti- um, justitia originalis esset ipsi collata ut donum personale, non ut donum naturæ, sicut nunc gratia; sique sibi soli eam adimeret, non suis posteris, qui tamen semper eam ab eo acciperent, non ratione sui, sed ratione capitis. Si inferas: ergo peccator generabit justos. Respondetur equidem peccatorem generaturum justos, non ratione sui, ut dictum est, sed ratione primæ originis & capitis. Nec in hoc videtur magis incoaveniens, quam quod justus nunc gene- ret peccatorem, & quod malus minister in Baptismo regeneret justum.

Petes 5. Utrum, si Adam solum post natum filium peccasset, iste filius & ejus posteris contraxissent peccatum originale? R. Probabilius negativè; quia nec iste filius, nec ejus poster- i fuissent in lumbis Adæ, quando peccabat, nec consequen- ter propagarentur seminaliter ab Adam peccatore. Illi autem soli contrahunt peccatum originale, qui erant in lumbis Adam, dum peccabat, & ab eo peccatore seminaliter propagantur. Adde, quod iste filius jam esset justus: justitia autem semel habita non perditur nisi propria voluntate.

Si dicas, quod iste filius Adæ, vi præsentis decreti, ut modò dictum est, non esset constitutus caput morale suorum descendenti- um, sique eis non communicaret justitiam origina- lem. R. etiam ut antè, quod eam non communicaret ratione sui, sed ratione primæ originis & capitis Adæ, qui erat justus & innocens, quando ab eo fuit propagatus.

Theol. Billuart. Pars Secunda.